

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 41767/08 CG

N

Iurium

Recursus adversus decretum rotale diei 19 iulii 2008

(Pontificia Universitas X — Capitulum Y — Archiconfraternitas Z)

DECRETUM

Vi decisionum rotalium dierum 24 iulii 2003, 17 ianuarii 2008 et 19 iulii 2008 atque sententiae, ab H.S.T. die 5 septembris 2009 latae, in rem iudicatam transit, inter alla, Archiconfraternitati Z usum locorum sub num. [5], [6], [7], [8] et [9], de quibus in adiecta descriptione, non competere.

Clausula exsecutionis praedita, sententia H.S.T. ad exsecutionem quod attinet Ordinario N. litteris diei 6 octobris 2009 transmissa est, qui tamen, ob quasdam animadversiones a Cl.mo Archiconfraternitatis Patrono motas, hoc Supremum Tribunal nuper consuluit de recto exsecutionis tramite.

Quibus omnibus praehabitis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

Praemisso quod res iudicata facit ius inter partes (cf. can. 1642) et, exsecutioni mandata, partes obligatione tenentur ad exsecutionem devenire;

Attento relate ad animadversiones in exsecutionem a Cl.mo Archiconfraternitatis Patrono allatas quod:

- ius ad accessum per cursum ab ostio sub civico ... iam re iudicata dimissum est, quin immo sententia H.S.T. argumenta, a Cl.mo Archiconfraternitatis Patrono nuper iterum producta, longe lateque examini subiecerit, quae, proinde, in exsecutionis exceptionem adduci nequeunt;

- usus latrinae sub num. [2] in adiecta locorum descriptione ad Archiconfraternitatem pertinet, cui competit eiusdem latrinae in pristinum usum restitutio, quae hucusque ne inchoata quidem videtur;

- accessus ad publicum aquarum ductum ad Archiconfraternitatem pertinet, cui tandem, data occasione, Pontificia Universitas X, si et quatenus necessarium, adlaborare tenetur;

- damnorum reparatio, quae forte illata sunt sacristiae pavimento, ad hanc causam non pertinet et hac cum exsecutione permisceri nequit;
- parietis destructio, qui inter locum [3] et locum [4] exstat, Archiconfraternitati competit, cum uterque locus, vi rei iudicatae, eidem Archiconfraternitati assignatus sit;

Animadverso quod iam diu, decreto nempe ab H.S.T. die 9 ianuarii 2009 lato atque decreto ab Exc.mo Ordinario die 23 februarii 2009 emisso, exsecutio concessa est, immediata et definitiva quoad loca sub num. [8], [9], et [11], atque sub cautione praestita ac post H.S.T. sententiam restituta, quoad loca sub num. [7] et [10], quodque vero hucusque Archiconfraternitas prorsus iners evasit;

Pro monitis habitis partibus earumque procuratoribus ac repraesentantibus, ne, ad huius decreti exsecutionem ac proinde iurisdictionis ecclesiasticae libertatem impediendam, ad Auctoritates vel Magistratus civiles quomodocumque recurrere praesumant (cf. can. 1375), salvo utcumque iure ad damnorum forte illatorum reparationem ob dilatam exsecutionem (cf. can. 128; art. 92, §2 *Legis propriae* H.S.T.);

Vi praescriptorum, quantum ad rem pertinent, cann. 1611, 2º; 1651 et 1655, §2 necnon art. 121 Const. Apost. *Pastor bonus* atque, saltem ex analogia, art. 94 *Legis propriae* H.S.T.;

Re sedulo examini subiecta in Congressu, coram infrascripto Praefecto die 20 novembris 2009 habito,

decrevit:

Quoad loca [8], [9] et [10], Pontificiam Universitatem, certiore de re facta Archiconfraternitate ac frustra petita eiusdem cooperatione intra decem peremptorios dies praestanda, vi huius decreti, posse utcumque:

- **ad eadem loca quomodocumque accedere;**
- **omnia quae in iisdem forte adhuc continentur, collatis consiliis cum Em.mo Ordinario, transferre atque in loco tuto custodire;**
- **introitum inter locum [7] et [8] quomodocumque claudere;**

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

- de iisdem locis iuxta proprium ius et commodum disponere eademque, si casus ferat, reformare;

Quoad loca [5], [6] [et [7], Pontificiam Universitatem post diem 10 ianuarii 2010, certiore facta Archiconfraternitate atque frustra petita eiusdem cooperatione intra decem peremptorios dies praestanda, vi huius decreti, posse utcumque:

- ad eadem loca quomodocumque accedere;
- omnia quae in iisdem forte adhuc continentur, collatis consiliis cum Em.mo Ordinario, transferre atque in loco tuto custodire;
- introitum inter locum [6] et [4] quomodocumque claudere;
- de iisdem locis iuxta proprium ius et commodum disponere eademque, si casus ferat, reformare;

Quoad parietem intra locum [3] et [4], Archiconfraternitatem, prout sibi libet, eundem destruere posse.

Ita pronuntiamus ac statuimus, mandantes iis quorum interest, ut H.S.T. definitivam sententiam atque hoc decretum executioni tradant, ad omnes iuris effectus.

Em.mus Ordinarius executionem iuxta huius decreti exsecutorii tenorem per se vel per idoneam personam curabit. Quodsi executio ulteriores moras patiatur, res ad H.S.T. statim deferenda est.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 20 novembris 2009.

+ Raimundus Leo BURKE, *Praefectus*

+ Franciscus DANEELS, o.praem., *Secretarius*